

W. 534,49. STVDIORVM CONSTANTIE  
XVI. PHILOSOPHIAE CANDIDAT  
QVI MAGISTRI CREANTVR




RECTORE MAGNIFICO  
GODOFREDO HEINSIO  
MATHEM. P. P. O. ET ACAD. IMPERIAL  
SCIENT. PETROPOLITANA ADSCR. HONORARIO

PROCANCELLARIO SPLENDIDISS  
IOH. CHRISTOPH. GOTTSCHEDIO  
LOG. RECENTIORIS ET METAPHYS. PROF. PVBL  
ORD. POES. EXTRAORD. ET MAI. PRINC. COLLEGII  
COLLEGIATO ET SODALIT. QVAE SCI. CAVSSA  
COGVNTVR DIVERSIS VT BEROL. BONON  
OLOMVC. ADSCRIPTO

DECANO SPECTABILI  
AVG. FRIDER. MULLERO  
PHIL. ET IVRIS VTR. DOCT. ORG. ARISTOT  
PROF. PVBL. ET MIN. PRINC. COLL. COLLEGIATO

CARMINE SOLEMNI LAVDAT  
IOH. FRIDER. CHRISTIVS P. P.


D. XII. FEBR. A. C. N. CIO 10CC.



LIPSIAE  
OFFICINA LANGENHEIM







**Q**uid studiis, quorum tam certa exempla videmus,  
Nunc faciet pretium? Quae res torpere vetero  
Non sinet, ac reducem coget nos cernere Musam;  
Virtutis meminisse bonum est, laudi que vacare,  
Doctrinae que aidas incendere carmine mentes.

An, quia luce prius, cum clarum mane fenestras  
Nondum intrat, quounque die, sed saepe profecto,  
Cursantis populi ingeminant per compira voces,  
Iamque via strepitu vario turbatur in omni?  
Nam properant hominum densae permixta cateruae  
Iumenta, ac nimio nutantia pondere plaustra;  
Sarraci que onus arbor, et ingenti rota tigno  
Pressa venit: gemuit curvatus rupibus axis,  
Venturam que minans ostendit in agmina molem.  
Ergo fugam suadet res haec, eademque moratur,  
Dum turbam circa retinendo colligit omnem.  
Bajulus a tergo interea, ut caueas, inonet: ante  
Quam possis tamen, ipsius te sarcina pulsat,  
Vndaque succedens rapit in diuersa morantem.

Non haec excutiant somnum tibi, quisquis ad artes  
Auspicio meliore venis? En, maxima rerum

## III

Proposito petis egregio: turba illa lucellum  
 Iure quidem insanis deprendere motibus optat,  
 Et sequitur certe tenui spe parua. quod ipsos  
 Cogit sponte animus, domini vel iussa potentis,  
 Vel maior domino duris in rebus egestas.  
 Quatenus illorum non est ratio absonta recto.  
 Nam sine vi, sine fraude deus quae parta probauit,  
 Vel pretio ingratia bona sunt fudoris habenda.  
 Aspera amat Virtus: hominem Natura parauit  
 Duro operi, famaeque patrem dedit ipsa laborem:  
 Omnia que audenti reddit deus, ofor inertis.

Suscipies tamen hunc non tunc modo, quando necesse est,  
Quando non audes data detrectare: sed olim,  
 Te quoniam iuuat exerceri, sumere debes.  
 Id si sumis opus, quod te iuuat: aptus in alto  
 Et par institues animo quoscunque labores,  
 Cum graue quid ratio, vel res, vel munera portant.  
 Assuetus modicis, paullatim grandia tolles  
 Gaudens: hoc potius cupies, odiſſe que somnos  
 Otia que, et vacuae labentia tempora vitae.  
 Qualibus officio coeptis praeluditur omni.

Nobilis in primis veri qui suaferit ardor  
 Difficiles reperire vias, arcemque tenere,  
 Litterulis multum varia que exercitus arte,  
 Dum rigido impendet placitis examine, distat  
 Et specie, et causa, reliquis a rebus agendis.  
 Nil Venus imperii queat hic, saeuusque Cupido:  
 Nemo animis propter quaestum bene discat auaris,  
 Nemo miser, quem commoneat res arcta, vel error.  
 Sed ratio mentis constans, non impetus acer,  
 Veri templa, viamque tenet, qua dicit honestum.  
 Non ideo, quia rem vobis augere decorum est

Litte-

Litterularum ope; nec vobis, vt iussa fecutis  
 Aut patris, aut domini: vel quidquid sordibus aegro  
 Ingenio placeat, nijueae varianda papyri  
 Aequora cum calamis creduntur, et ebria gallae  
 Succis aerugo. Sacra rara haec scrinia seruant  
 Scripturis pretio laudis folius opimum,  
 Quod lectum decies cupiant memorare nepotes.

Non, quoniam vobis haec luditur alea; non, quod,  
 Contemnere miser, nisi discis, quilibet amens  
 Occinit amenti, doctrinae haec summa vocetur.

Nam, non idcirco, quia puro nempe salino  
 Splendet mensa tripes, lucet que a diuite filua  
 Assidue focus, et fundis praefstattur auitis  
 Tu quod edas, vnde incedas vestitus honeste,  
 Et cum farre cliens comes est aduectus eunti,  
 Ne fortasse tibi sit pondus inutile Musa,  
 Viuere mente velis vacua, studiis que carere.

Si tamen hoc fieret, nil sciscere tristius in te  
 Tu poteras, vel qui taurum succendit ahenum, duv stroqnaT  
 Vel qui suspenso leuiter laquearibus aureis,  
 Ut simulacra suae fortis proponeret, ac spem,  
 In folio positum conuiuam terruit ense.  
 Quae lentum crucient non vlla exempla malorum  
 His leuiora boni subeas desertor et aequi:  
 Nam specie pulcra Musae praebetur vtrumque,  
 Sed meliora vides: sed recta intellegis: at quae  
 Affuetu prauis nullo est contingere pacto.  
 Fiet enim, quod supplicio sit dirius omni,  
 Virtutem vt videas, intabescas que relata.

Quod si non ideo, quia res est parta, remittis  
 Artibus ingenuis et curis nuntium honestis,  
 Quid contra tendas rem propter doctus haberit,

## VI

Aeternumque decus mendaci non bene fama quo  
Virtutem seruire velis? A partibus illis  
Et genus et ratio studiorum dissidet omnis.

Sed cur pernigili noctes impendere curae?  
Cur doctis veterium cupiam impallescere chartis,  
Nec somnum ante nouae videam confinia lucis?  
Id que, ut vos dicit mea tanta aerumina labore,  
Si non est pretium, non illa est gratia facta.  
Si nemo viuit clarae mihi conscius artis?  
Nemo rogit, quid agam: nemo solatur, et audet  
Esse operum consors: si nemo denique curat?  
Sic vigili datur ob lychinorum impendia menti.  
O nos felices tamen illa sorte: quod olim  
Neglegimus tantum sapere ausi.  
Exagitque iocis artes insana molestas,  
Dummodo ne noceat, turbae censura ferocis?

Nimirum hoc petimus cuncti. Sudare quis omni  
Tempore contendat sudorem propter, et omni  
Tempore vulneribus ferat obvia pectora frustra?  
Dicere quis tantum ut dicat velit, ampla disertum  
Ni merito maneat praebalbis praemia? forte  
Ante malos honor, ac diae post vulnera paces?  
Arte laboratae Cereris nisi maior aceruu

Agricolae naui premat horrea, quam sua tarda

Nempe voluptatis quedam spes cuncta futurae

Sustinet, obiecto interea dilata labore.

Sed mea non numeris ratio subducitur illis,  
Nam bona, quae capias, secum omnia reddit honestum.  
Non istic constat pretiis, quia dulce, bonasque  
Spes habet: ipsum causam sui ac pulcherrima merces.

Hoc satis es, qui vera petis, rectum que, bonum que, audiri

Felix consilio, ac solo te teste beatus.

Quin

Quin ea, si nemo, si conscientia numina nunquam,  
Quid facias, carent, raimen et facis, et melius nimirum  
Candidus et gaudens studiis natum esse fateris.  
Vna tuae species, neque dispar regula, vitae  
Contexet primis, ut nunc, extrema nec usquam  
Deuius, expedes cursum, qua linea summis  
Rexit carceribus, metas agitator ad imas.

Saepe vides cupidos magnis conatibus angui,  
Ut, quidquid petiit, contingat prava libido.  
Alterius placuit coniunx, vel munus, et alterius  
Vicini fundus, positi que in foenore numi:  
His misere cupiunt noctes que dies que potiri.  
Tu magis aequo animo ut careas, et liber animos  
Ridere ut possis horum coepta improba, cura.  
Hoc magnum tibi surgit opus sudore parandum,  
Sed nihilo asperius, quam si stultissima tentes.  
Quam decus est, redimunt maioris dedecus illi.

Inuidus ut noceat felicibus, hoc studet una  
Tu contra felix leuiore extundere nisu,  
Ne quibus inuidas unquam, curabis, et istis  
Ipse dabis tibi, quod sequeris, dum pauca requiristi.  
Maius enim certe ac prius, haud eguisse petendis,  
Quam si cum cura rebus potiare petitis.

Intento spectas vestigia ponere funi,  
Corpora que excusso quosdam librare petauro,  
Dum latus et iugulum gladiis vibrantibus urgunt,  
Quo magis erratis mors certa impendeat vtrix:  
Id que audere breuis numi spe: nec magis ipse  
Nil operae propter bona mentis tanta recusas?

Scilicet ad vitam viuendi querere causas,  
Ac bonus ut fias, propera, quando omnia rerum  
Quae petimus, duri circumdant septa laboris:

Quem

## VIII

Quem nisi vestibulo positum qui vicerit, illum  
Non temere admittit templi trans limina Virtus.

Sin etiam Fortuna tuis obſtēre coeptis,  
Vt ſolet, incipiat, cunctos que auferre paratūſſi.  
Tu tamen obdura, contra que audentior iſta.  
Frangitur, in ſaxis hiemalis vt vnda ſūpinis,  
Te que manent certae poſt pugnam praemia laudis:  
Gaudet enim pulcro deus adſpirare labore.

Neu te poeniteat dubio diſcrimine vitaे,  
Iacturis que actae grauibus, rerum omnium egeniae,  
Tot que operum, vigili fruſtra quae texere cura  
Matutinus amas, et ſcriptae in damna papyri,  
Securus veterum reputabis facta virorum.

Cecropias Megara properantem duxit Athenas  
Eucliden amor artis, et omni nocte coegit  
Contra ſcita patrum capitis prodire periclo.  
Socratico vt ſemper penderet fedulus ore,  
Taedia longa viae veri ſpe fregit anhela,  
Ille minis durae non ausus cedere legis.

Saeua conditione alii feruire parati,  
Doctrinae tenuis preeberet vt otia censuſ,  
Corporis aerumnis animos aluere capaces.  
Traderis hoc pacto Samii didicisse merendo  
Dicta fenis, Geticis longe qui nate pruinis,  
Mox fueras patrias numen rediturus ad aras.  
Vt que die monitis poſſet ſuperelle magistri,  
Hauſtus aquae, noctu affidue celebratus in hortis,  
Ingentem minima pauit mercede Cleanthem.  
Si licet exemplis Vmbri facta addere Achiuiſ,  
Qua nihil feruum frangas poenae vice, docti  
Nempe manus Plauti pistrinum exercuit olim.

Quid

Quid memorem graue suppositis gemuisse lapillis  
 Ingentis virtute viri dictis que palatum,  
 Actaei os populi, cum vocibus aequora contra  
 Et strepitum Aegaei contenderet? Ille vicissim  
 Inclusus vigil, et pernox, nisi digna lucerna  
 Perpetua summis opibus sua verba notaret,  
 Facundo fluerent quae mox dicentis ab ore,  
 Non aetas omnis discat mirata nepotum.

Hoc quoque tu, iuuenis Pellaei docte magister,  
 Aere grauem dextra retinebas prouidus orbem,  
 Sopiti digitis qui se laxantibus vltro  
 Proriperet, sonitum que daret, peluque canorae  
 Allifus, dulcem auferret de pectore somnum:  
 Tum demum placidae tradebas membra quieti.

Haec memori vobis animo seruanda canebam,  
 O nostri, noua quae studii constantis honorem  
 Progenies petis, ac laudi virtutibus instas,  
 Vester, et huic operae iam dudum deditus vni.  
 Mos hac vrbe bonus doctrina consita lustrans,  
 Ut messis redit ac vindemia tempore certo,  
 Sic iuuenes adit ingenii quaeſitor in annum.  
 Festis, qui resonant laetum Paana, diebus  
 Apparet, docili que in pectore summa bonorum  
 Non legit, at potius commendat et inserit vltro.  
 Vos quoque propositi stitit huic fiducia iusti:  
 Iam que bonae donis adsuescite laudis, et omnis  
 Immunes sceleris, non est mora, templa subite.  
 Ut saluum nobis Regem, Regisque domum, ac rem  
 Communis patriae, et recti sacra moris, et artes,  
 Praefestet salua Deus, felici tendite voto.



B

IOHAN-

JOHANNES MARTINVS SCHMIDIUS  
 SACRIS FAC. DVRVVEITI HACTENVS PASTOR NVNC  
 DIACONVS PRIMVS DES. LAVSIGII

**N**eostadio ad Orilam in meridiem distans eodem flumine rigatur vicus, cui vocabulum Oppurg. Ibi natus a C. N. CIOIOCCXII patre cognomine, qui sacris eo in agro faciundis crediti fidelium gregis pastor praeesset, matre Iuliana Margaretha Celia, cuius maiores cum in aula principali Vinariae, tum Ienae iuri dicundo, honorato quorundam loco fuerunt. Eorum laudanda parentum prouidentia factum fuisse ait, ut idoneis praceptoribus instituendus domi litterarum rudimentis traderetur, quos Leuthierum et Hebenstreitium, vtrumque illis in terris sacris faciundis nunc diaconum, ob dexteritatem fidemque gratus praedicat. Per eos accidisse, ut in gymnasium litterarium Vinariae deduceretur, in quo profecerit praesertim ductu Gesneri, qui nunc magna cum laude ingenii ac doctrinae artium professor Goettingae meret, quemque se parentis loco colere fatetur; ac deinceps Kiseuetteri, qui regeret eum ludum. Inde Lipsiam adiit anno saeculi praesentis xxx, noster factus rectore Gaertnero, qui nuper illustri dignitate vir Vindobonae ad clavum litibus Imp. Rom. indicandis admotus est. Hic per annos quatuor doctores in re nostra sectatus, ut litteras Hebraicas disceret, Sperbacium: ut Philosophiae placita, Mullerum: ut interpretandi pracepta in sacris enarrandis, Tellerum: ut decreta sacrorum et controversias, et mores, et usum declamandi, Klausingium, Deylingium, Hoffmannum, qui nunc sacra cum laude Vitebergae docet. Publice etiam hic moderante Gesnero dissertationem propositam colloquio defendit, usus principali mensae publicae beneficio, ac nonnullo legatorum ad litterarum studia incremento. Inde commendatione Gesneri euocatus Sufelicium Illustrissimi Henrici Henr. F. Rod. N. Bunau Comitis filios praeclera tunc spe altos, nunc reipublicae admotos, litteras annis tribus docuit: mox in Nascis

riscis Viri illustris domini a Rex, qui eius conuentus agro auctoritate regis praefectus praefest, in domum adscitus, liberos eius litteris artibus que ingenuis instituendos suscepit. Secundum eaq; vocatus ad curam sacrorum in vico agri Coluditii Misniae, cui vico vocabulum est Dürreweisschen, interpres ibi verbi salutaris ab anno saeculi praesentis XXXXIII egit, nunc destinatus curae sacrorum diaconus primus Laufigio opido, ordinem nostrum adiit, vt magister artium more maiorum, quod merito fit, diceretur.

CHRISTIANVS PAVLVS BIEMANNVS  
GORLICIO LVSATVS

**N**atus Gorlitii patre Petro Paulo, qui acus et fibulae quo artificio subtiliter fiunt, hoc ea in vrbe exercuit, matre Rosebergeria, anno huius saeculi XXIIII, postea quam litterarum rudimentis priuatim institutus esset, in Gymnasio patriae litterario stipendia mereri coepit, rectore tunc Grossero, deinde Baumeiftero, reliquis vero artium tradendarum magistris, Rothio, Schulzio, Brieglebio, Eichlero, Mullero, ac Mylio: quorum fidem operamque gratus praedicat. Ad haec bona ingenio alendo praeci-puam accessisse sibi munificentiam Senatus Gorliciensis et gentis Niciana. His ita actis a C. N. CIOCIOCXXXXV publice pro more valedixit ei bonae mentis officinae, Lipsiamque adiit: ubi census est inter nostros rectore Klau-singio, adiutusque commodum incremento humanitatis studiosorum Siluerstenio, doctores litterarum ac philosophiae discendae caussa habuit me quidem, et Kappium, Ernestiumque: oratoriae, Gottschedium: ingenii disputando per colloquium controuersias exercendi, Carpzouium: theses elementorum, Heinsium. Interea se Francogallie-cis quoque litteris discendis operam nauasse ait. Cum ad theologiae studia conuersus fuisset, Hebraeam litteratu-ram didicit, tradentibus Hebenstreitio, Sankio que: de-creta et controuersias sacrorum, Deylingio, ac rursus Heben-streitio,

streitio, Vuollo que: paecepta interpretandi, Boernero,  
ac rursus Vuollo, quem etiam in declamandi vsu paeceptum  
secutus est: vt in prudentia futuri muneric discenda,  
Deylingium: in controversiis facrorum, Hebenstreitium,  
Cui, ac Boernero quoque in primis, ac Tellero, plurimum  
ob benevolentiam ac fidem se debere, animi memoris cum  
testificatione profitetur. Contigisse autem post illa, vt, vi-  
rorum grauium fauentium que sibi commendatione Dre-  
sdam euocatus, paecipios spei sua ac fortunarum statores  
nactus sit Viros Illustres, Gaertnerum ac Ferberum, quo-  
rum ille in Consilium August. Imperatoris adscitus Vindo-  
bonam cum se conferret, nostrum, cuius fidei filium insti-  
tuendum crediderat, comitem eo deduxit. Ante tamen  
ordinem nostrum superiore anno adiit, vt artium liberalium  
ac philosophiae magister, rite tentatus per colloquia, diplo-  
mate edito diceretur, quod et factum est.

## IOHANNES GOTTLIEB SCHMIDIUS

ERNESTIRODA GOTHANVS

**H**aud procul vrbe Gotha Ernestiroda in Thuringis vicus  
est. solebant autem a loco, qua caedua silua fuerat,  
hac verbi figura, Nöde, opida vicosque maiores nostri  
appellare, vt Ach ab aquis, Bühel a cliuo, Weiler, a villa,  
Werder ab insula in flumine, atque alia ad eum modum:  
quae nunc fere vocabula obsolescunt. Ibi natus anno  
aetatis paefentis XXII, patre Benedicto Hermanno,  
qui sacris eo in agro crediti fidelium gregis pastor pae-  
fuit, matre Elisabetha, Iohannis Mulleri artium Magistri,  
qui Gothae sacra ad aedem Margarethae curabat, filia.  
Sacrorum et litteraturae Latinae, Graecae, Hebraicae ru-  
dimenta, cura atque opera patris cum didicisset, Gotham  
est deductus, vt in gymnasio litterario mereret: in quo re-  
ctore Stussio, aliisque, qui tum erant, liberalis doctrinae ma-  
gistris, multa eorum fide, ac benevolentia, se profecisse  
sex annis memorat. Inde Gottingam se contulit, vñus que  
est

est ibi per annos quatuor theologiae descendae doctoribus, Crusio, Oporino, Heumanno, Kortholto, et in humanitate percipienda, Gesnero maxime: in philosophiae studiis, Feuerlino, Segnero, Holmanno: historiae iuris, Gebauero, ac denique Hebraicarum litterarum caussa, Waehnero et Schwarzio. Interea praeferim fauore ac benevolentia Gesneri V. C. vhus, Seminarii philologici pars ab eo receptus, ac mox ita probatus est, vt Lipsiam commendatione illius, in domum Viri Illustris Stigliziam traditus, veniret, vt paeclarae spei liberos eius litteras doceret. Quem illius fauorem gratus ac memor praedicat. Sic vrbe hanc postquam adiisset a C. N. c1510ccxxxxvi, census in nostris rectore Maio, quantum operae mandatae vacatio ferret, non intermisit mathefeos caussa auditor adesse Heinso nunc Rectori magnifico: vt sacra et philosophiam perdisceret, Crusio: ac denique litterarum in studiis mihi quoque. Secundum ea Cygneam euocatus, ludo ibi litterario tertius tradendae liberali doctrinae paeceptor futurus, ordinem nostrum rite adiit. A quo more maiorum tentus artium ac philosophiae Magister per diploma dictus est.

## IOHANNES IACOBVS ZIEGENHAGIVS GEDANENSIS

**N**atus Gedani anno saeculi praesentis xxxi, patrem habuit Iacobum Ludouicum, cauffarum ea in vrbe patronum et curiae Palaeopolitanae procuratorem. Mater est Maria Elisabetha e gente Mascouia. Quarto aetatis suae anno pater orbatus, fedula deinceps matris cura, sub idoneis magistris, domi institutus in litteris profecit, donec adire Lipsiam posset. Hic aliquo tempore priuata institutione Parreidi artium magistri vhus, inter nostros nomine dato conferi coepit a C. N. c1510ccxxxxvi, rectore Kappio. Vhus est, vt Graecas litteras perdisceret, Adamio, artium magistro, et Leichio: in filio exercendo, reliquisque eloquentiae studiis, Vuernsdorfio, cui plurimum se ideo, atque ob-

### XIII

benevolentiam, debere profitetur. Ut philosophiae decreta nosceret, doctores fecitatus est, Mullerum, Franzium, Vuinclerum, qui quidem physice experimento rerum illustrandam tradidit: mathefeos percipiendae caussa, Hein- sium; ut historiam omnem, Ioecherum, Leichium, Boehmiuum A. M. qui res Imperii Rom. regni que Germanici enarrat. Ad reliqua aditum facturus, ducem intellegendi operis Grotiani de Iure B. et P. habuit auunculum Godofredum Mascouium, sub quo item disputandis controversiis ingenii exercendi facultatem adeptus, alterius item auunculi Viri Illustris voluntate vtitur. Alter iam annus est, quod ab ordine nostro rite tentatus, primam philosophiae lauream, ingenii ac litterarum testem, tulit, eo que die in panegyri carmine Latino pacem, quae tum ad aquas Graecas conuenerat, laudauit.

### AVGVSTVS FRIDERICVS LANGHEINRICH DELITIO MISNICVS

Natus Delitii a C. N. ccccccxxxviii, patre Isaaco Friderico, artium Magistro, qui sacris eo in opido faciundis tunc Diaconus, nunc Archidiaconus praefest, matre Anna Eleonora, Abelmani, qui Guelferbyti in vrbe sacra crediti fidelium gregis pastor curabat, filia. Litterarum rudimenta et sacrorum in ludo litterario patriae edocitus, fauore deinceps eorum, qui curiam ibi regunt, ad ludum transiit, qui principali munificentia Portae celebratur, ibique sub magistris, Freytagio, Am Ende, Stubelio, Peucero, Hentschelio, Geislero, Heumanno et Hubischio, sex ferme annis profecit; eorumque, sub quibus stipendia fecit, omnium fidem atque in se merita, in primis Freytagii et Am Ende, gratius praedicat. Lipsiam adiit anno aetatis nostrae xxxvii, census in nostris rectore Maio. Inter nos fecitatus est humanitatis ac litterarum caussa, Kappium, Ernestiumque: in omni philosophia, Crucium: in historia cognoscenda sacrorum et ciuili, Ioecherum: in Hebraicis litteris,

*litteris, Hebenstreitium.* In descendis theologiae decretis  
uditor adfuit, Tellero, Hebenstreitio, Crusio: in sym-  
bolicis libris noscendis, Boernerio: in moribus ad sacrorum  
exemp ar formandis, rursus Crusio: in praeceptis interpre-  
tandi discendis, Deylingio ac Vuollio: in reliqua futuri  
muneris meditatione, Tellero, atque item Crusio: quorum  
omnium praecolla in se merita ac beneficia laudat.

### JOHANNES DAVID NEVHOFF

B R E N A S A X O

**D**elitium inter, atque id, cui Bitterfeld opido nomen  
est, Brena est sita. Ibi natus anno saeculi praesentis  
xxvi, patre Davide artium Magistro et sacris eius opidi cu-  
randis Diacono, matre Iohanna Maria Lohrengelia, cuius  
pater Seren. Sax. ducis Henrici, cum in viuis eset, ab  
epistolarum secretis fuit. Huius autem primum cura singulari,  
ac pietate et fide patris, factum ait, ut in litteris, quibus  
informari aetas puerilis solet, proficeret: cui rei acces-  
sisse institutionem sub disciplina sedula Guntheri, qui nunc  
in agro prope Vitebergam sacris curandis praesit. Postea  
deductus in ludum litterariorum patriae, praeceptoribus ibi  
vusu est Effenbergio et Hauptio. Inde autem suauu auctoritate  
que Martisburgi gymnasio litterario traditus, plus annis sex  
in eo meruit, sub magistris, Hoffmanno, Kupfero, Kunado,  
Grauio, Sandero: quorum alter atque tertius ipsi cognatione  
iungerentur. Horum omnium in se amorem ac fi-  
dem, et praefertim Hoffmanni merita, laudat. Francogal-  
licis item litteris ibi operam praeente Klutero se fatetur  
dedit. Intercedente interea decestu autem, sed altum benigne  
ab aia, quod gratus ac memor praedicat, Lipsiam adiisse  
a C. N. c1910ccxxxxv. In catalogis nostrorum scriptus  
est rectore Klausingio, atque ab eo tempore doctores ha-  
buit, philosophiae vniuersae, Mullerum et Crusium: huma-  
nitatis et litteraturae vtriusque, me quidem, et Vuincle-  
rum et Ernestium: oratoriae, Gottschedium: historiae,

Ioche-



XVI

Ioecherum et Vuernsdorfium, Mathefeos, Kaestnerum: Hebraicas, Chaldaicas et Syriacas litteras eum Hebenstreitius et Boseckius docuerunt, et Hartenstenius A. M. In primis plurimum Hebenstreitio ob benevolentiam se ait debere: ut item Vuollo, quo praeente, atque in primis etiam Boerner, Deylingio, Hebenstreitio, Tellerio, omnis theologiae spatia emensum esse, neque non exercitum per quaestiones ingenii tentandi, et colloquiis academicis, duce Deylingio: quorum omnium doctrinam gratus praedicat. Secundum ea anno superiore philosophiae Baccalaureus ab ordine nostro creatus, carmen Latinum recitauit: nunc recitabit in panegyri Graecum.

CHRISTIANVS LIEBNER  
OSTROFELDA MISNICVS

Numburgo vrbe in ortum hibernum distans agri eius Ostrofelda opidum est. Ibi natus anno saeculi praeuentis xxvi, patre Thoma, artium Magistro, qui sacris curandis eius agri tunc, postea Cizae, crediti gregis pastor praeuit. Litterarum rudimenta cura patris domi primum sub idoneis praeceptoribus doctus, mox Leisneri Magistri artium ductu, qui ludo Cizae cum laude praeest, quatuor annis se ait profecisse. Lipsiam venit a C. N. c1515 ccxxxxvi, noster factus redore Hebenstreitio, atque ab eo tempore sectatus est historiae discendae cauilla, Ioecherum: ut philosophiae ac litterarum notitiam haberet, Mullerum atque Ernestium. Interea orbatus patre ad theologiae studia animum appulit, atque idcirco auditor adsuit Hebenstreitii ac Telleri scholis.

IOHANNES GODOFREDVS STRVPPIVS  
LEUCOPETRA MISNICVS

Natus Leucopetrae a. C. N. c1515 ccxxv, patre Iohanne Christophoro, qui equis insternendis ephippio artificium

ciuum iussu Sereniss. Sax. Ducum ea in vrbe exercebat: ma-  
tre autem Maria Magdalena Sellmannia. Vtriusque paren-  
tis egregiam in se voluntatem et merita gratus laudat. Lit-  
terarum rudimenta partim domi institutus didicit, partim  
in ludo patriae litterario sub disciplina Messerschmidii,  
qui ei rector praeerat. In ludum deinde Portae transiit,  
sex ibi annis principalis munificentiae alumnus habitus,  
sub magistris Freytagio, Vualthero, Am Ende, Stubelio,  
Peucero, Hentschelio, Geislero, Haymanno et Hubschio.  
Quorum omnium, et praesertim Geisléri, fidem ac bene-  
volentiam praedicat. Lipsiam accessit anno aetatis nostrae  
xxxxvii, scriptus in catalogis nostrorum rectore Maio,  
atque ab eo tempore doctrinae caussa hic sectatus est, ut  
philosophiam disceret, Mullerum: vt Romanorum ritus  
antiquos, Ernestium: vt historiam omnem, Toecherum:  
vt mathesin, Heinsum. In sacrorum studiis praeceptores  
habuit, qua decreta eorum exponuntur, Tellerum ac He-  
benstreitium: qua interpretandi legem, Deylingum, et in  
his quoque, et super moribus exemplo sacrorum formandis,  
rursus Tellerum: in vsu declamandi, Wollum: in intelle-  
gendifis libris, quos symbolicos appellant, Boernerum: in  
controversis, atque in litteratura Hebraica, Hebenstreitium  
et Frischium. Per quaesita quoque ut ingenium explora-  
ret, colloquiis que academicis acueret, operam dedit Dey-  
lingio ac Hebenstreitio. Eorum autem omnium beneuo-  
lentiam dexteritatemque laudat. Secundum illa superiore  
anno contigit, ut ab ordine nostro primam philosophiae  
lauream ferret.

## CAROLVS FRIDERICVS HECKER

MEUS ELVICIO MISNICVS

Prope Palaeopolin vicus, cum villa hortis tectisque nitide  
exulta, possessoris praesertim splendore claret, cui  
nomen Meufeluz. Ibi cum pater Henricus Cornelius,  
Hamburgo oriundus, Magister artium, sacris faciundis

C prae-

## XVIII

praesul, hunc filium suscepit ex uxore, Maria Dorothea Waltheria, a C. N. 1510 CCXXVIIII. Domi primum sub idoneis praceptoribus litterarum rudimenta edoctus creuit. Deinde Palaeopoli in Gymnasio litterario mereri coepit, praeuntibus Moerlino, Vuebero, Maiero, Schoenfeldio: quorum diligentiam ac fidem gratus agnoscit. Lipsiam accessit anno aetatis nostrae XXXVII, scriptus antea in catalogis nostrorum rectore Gottschedio. Doctores internos sectatus est philosophiae quidem discendae causâ Gottschedium, Maium ac Birnbaum: in disputandis per colloquia controversiis, Gloecknerum: in humanitatis studio, me et Ernestium, Vuernsdorffum que. Theologiam ut omnem perciperet, auditor adfuit Tellerio, atque ut orientis litteraturae notitiam haberet, Hebenstreitio, Vuollo, Hartensteinio. Etiam declamando publice in aede nostra ingenii experimentum dedit. Quibus in studiis cum contigisset, ut patre boni exempli orbatus, cura sedula matris bene de se merentis sustentandus esset, commodum adspissasse sibi fauorem ac munificentiam Illustriss. viri S. R. I. Comitis a Seckendorff, cui is ager paret; in quo natus hic est. Adiunctam item sibi egregiam benevolentiam Telleri, cuius hospitio fruatur, et Gottschedii, cuius doctrinis vtaur, plurimum profuisse.

GOTTHELF BENIAMIN GVHR  
CVMENSIS MISNICVS

Culmena prope Ossitium vicus est. Ibi natus anno saeculi praesentis XXI, patre Iacobo, qui sacris eo in vico faciundis praest, matre uisus est Iohanna Sophia e gente Doeringia. Litteras ut disceret, Dresdae primum in ludo litterario meruit, sub magistro Kretzschmaro. Lipsiam venit, scriptus in ciuibus nostris rectore Klausingio, a C. N. 1510 CCXXXI: at, quo minus in audiendis artium doctoribus continentem operam poneret, aduersa valetudine graui ac diuturna impeditus. Quamobrem, relicta interea urbe, deinceps rediit, anno aetatis

## XVIII

tis nostrae xxxxv. Doctores hic secesserunt est philosophiae Gottschedium, Vuinelerum, Crusum: humanitatis ac litterarum, me quidem, et Kappium, Ernestiumque: orientis litteraturae, Hebenstreitium: Historiae, Loecherum et Baierum. Iuris sacrorum causa Mullero auditor adfuit, et artis oratoriae ut praecepta discereret, Maio. Theologiae in studiis decreta sacrorum didicit, Tellero, Hebenstreitio, Vuollio, Crusio, praeuentibus: interpretandi codicis sacrorum praecepta, Boernerio, Deylingio, Vuollio: qua declamandi usum praebet, Tellero rursus ac Vuollio: qua morum formulam, eidem et Crusio: qua controversa colloquiis disputat, Deylingio ac Hebenstreitio operam dedit.

## FRIDERICVS SIGISMUNDVS

WITZLEBEN

QUERNOFVRTENSIS

**N**on procul Quernofurto Neimsdorpium vicus est, in quo natus a C. N. ccccxx, patre Iohanne Friderico artium Magistro et sacris ibi curandis qui praeesset: matre Iohanne Christiana Ternia, cuius pater Blesae prope Martisburgum urbem sacra curaret. Primis litterarum rudimentis patris opera auique se institutum ait, deinde Quernofurti in ludo litterario meruisse, cui praeesset Roederus, eius duetu, et reliquorum magistrorum fide dexteritate que, plurimum profecisse. Inde patris auctoritate Martisburgum accessit, ubi in Gymnasio litterario sub Vhseo et Henkelio rectoribus quatuor prope annis stipendia fecit. Interea patre auo que fato functis, academiam ad Salinas Saxorum, ut finitimum suae patriae rebus, elegit, in qua annis xii. studiis litterarum ac doctrinae operam dedit. Auditor ibi adfuit philosophiae discenda causa, Hoheiselio ac Vuolffio: iuris naturae ac ciuilis ut praecepta nosceret, et Historiae notitiam haberet, Ludeuigio, cuius lateri in domum receptus plus annis iii. haesit: ut iuris sacrorum, et

C 2

amplius

amplius ciuilis iurisprudentiae, et antiquitatis sacerorum, praeferit Boehmerum antecessorem ibi ducem habuit. a quo in familiarem vsum receptus, recognoscendis ad libros veteres canonum, quos vocant lectionibus, cum noua eorum exempla publicanda pararet, superfuit. Etiam Boehmero minori, filio illius, in capitibus iuris, quae terribilium vocantur, intellegendis, et Heineccio, historiae iuris causa, et in aliis litterarum partibus, auditorem adfuisse se testatur. Quo moderante deinceps dissertationem publice defendit, cui *Vxor Romana* quae sequuntur, titulus est. Alio item libro numos quosdam Plautillae, in quibus *Venus Vicirix*, enarrare aggressus est. Fleischerum etiam, et Gasserum, et Schulzium se ibi sectatum esse, iurisprudentiae et litterarum causa, ait. Ad nos accessit anno saeculi praesentis xxxvii, adolescentes litterarum studiosos Taucherum Berolinatem et Berkouium Hamburgensem custos additus adducens. Hic inter nos doctorem habuit Historiae patriae causa, Mascouium. De reliquo et libris, qui publicabantur, adornandis, ut *Muratori Annalibus*, et aliis insti-  
tuendis litterarum in studiis, operam se nauasse profitetur.

CHRISTIANVS FRIDERICVS SEYFERTVS  
VOLCOVICIO MISNICVS

**N**on procul ab vrbe Lipsia Volcouicium vicus in meridiem, qua vergit ad ortum hibernum, distat. Ibi natus a C. N. c. 1000 CC XXVII, patrem habuit Christianum Ehrenfrid sacerorum eo in agro interpretem, qui eum suscepit ex vxore Iohanna Sophia Schleusingia. Quibus parentibus quum infans orbatus esset, prouidentia numinis benigni factum est, ut litterarum rudimenta priuatim doceretur, ac deinde Fribergae in Gymnasio litterario mereret, sub magistris Mollero, Luthero, Marzbachio: quorum in se fidem ac voluntatem laudat. Inter quae profuisse sibi benevolentiam quoque Vuilischii ac Vuaegeri, quorum ille antistes collegio sacris faciundis, iste senior ea in vrbe esset. In catalogis ciuium nostrorum scriptus

scriptus est me rectore, anno aetatis praesentis **xxxxiii.**  
 Adfuit vero doctrinae cauſa auditor, vt philosophiam  
 disceret, Maio, cuius in ſe merita praedicat, et Birnbaum  
 A. M: humanitatis studio, mihi ac Wernsdorffio: orient-  
 tis in litteris, Sankio, Bosleckio, Gloecknero. Dispu-  
 tandis praeterea controuersiis per colloquia velitatus, praec-  
 euntibus Deylingio, ac rursus Sankio: omnis theologiae  
 percipiendae cauſa ſectatus eſt in primis Tellerum, cuius  
 ſe beneficiis multis ornatum eſte gratus fatetur.

**C H R I S T I A N V S   G V L I E L M V S**  
**T H A L E M A N N V S**  
**W E B E R S T A D I O   T H U R I N G V S**

**N**on procul Longosalifa in Thuringis Weberstadium vi-  
 cus eſt, in quo ſacris curandis praeerat, quo patre na-  
 tus eſt, a C. N. **c i o i o c c x x v i i**, Christiano, artium Magi-  
 stro, nunc Coelledae crediti fidelium gregis pastore: ma-  
 tre autem Barbara Sophia Ernestia, quae ante annos tres  
 diem ſuum obiit. Prima ſacrorum ac litterarum rudimenta  
 pater eum diligenter docuit. Mox octo annos natus  
 ad Ernestium noſtrum, artium Professorem et Ludi litt-  
 ter. huius vrbiſ ad aedem Thomae apostoli Rectorem, au-  
 nculum ſuum, ita eſt deductus, vt non modo institutione  
 eius per annos quinque proficeret, verum etiam prope  
 filii in loco liberaliter haberetur. Postea in ludum Portae  
 fe contulit, ibique meruit ſub magiſtris Freytagio, Walthe-  
 ro, Am Ende, Stubelio, Peucero, Hentſchelio, Geiſlero,  
 Heumanno, Hubſchio, quorum fidem humanitate in que  
 gratus praedicat. Ad nos reuersus, cum nomen eſſet pro-  
 fefſus rectore Kappio, anno aetatis praesentis **xxxxvi**, au-  
 ditor adfuit philosophiae cauſa, Crufio: in matheſi disce-  
 nda, Heinsio: ſuper theologiae decretis, Deylingio et He-  
 benſtreitio: qui etiam Hebraicas eum litteras docuit, vt  
 praecepta interpretandi ſacra, Deylingius, Ernestius que: hi-  
 storiam ſacrorum, Baierus. In reliquis litteris et humani-

**XXII**

tate percipienda, historiaque ciuili, auunculum praesertim  
ducem fecutus est, cuius disciplinam, atque in se voluntatem  
et beneficia, gratus laudat.

**MAVRICIVS GODOFREDVS KOENIG**

**ROCHLITIO MISNICVS**

**N**atus Rocolitii a C. N. c*1510*CCXXV, patre Mauricio,  
qui decurionum collegio consul eo in opido preeest:  
matrem habuit Elisabetham Franckiam. Parentum cura ac  
fide singulari nutritus, prima litterarum sacrorum que ele-  
menta in ludo patriae litterario didicit preeeuntibus Vlt-  
manno, Gerlacio, Opitio, Pitschlero magistris. Inde in  
ludo maiore Cremae Misnicae meruit annis prope sex, sub  
disciplina Schumacheri, Parskii, Vlischii, Opitii, Hau-  
ptii, quorum studium dexteritatem que plurimum sibi pro-  
fuisse, gratus agnoscit. Lipsiam adiit anno aetatis nostrae  
*xxxxvii*, nomen professus inter ciues nostros rectore Win-  
elero. Doctores inter nos secessatus est philosophiae qui-  
dem omnis discendae causa, Mullerum, eius in se pree-  
claram benevolentiam et merita gratus ac memor laudat:  
vt historiae notitiam haberet, Ioecherum: vt Hebraicæ  
litteraturae, Hebenstreitum et Bossekum: vt sacrorum de-  
creta nosceret, Tellerum: vt controversias, rursus Heben-  
streitum: vt interpretandi preecepta recta, Deylingum:  
vt libros symbolicos, Boernerum. Vuolio etiam se ait  
plurimum doctrinae ac benevolentiae nomine debere.

**JOHANNES HENRICVS ISRAEL RANCKE**

**WOLFERODA MANSFELDENSIS**

**V**icus est agri Mansfeldici Vuolferoda. Ibi natus anno  
faeculi preesentis *xviii*, patrem habuit Israelem, qui  
sacris eius agri curandis preeerat, cum ei hic filius nasce-  
retur: matrem Susannam Elisabetham Schillingiam, sacris  
curandis quondam Decani Dederstadii non procul Islebia  
filiam,

filiam. Litterarum rudimentis institutus domi, Gymnasiūm litterarium, quod ad Salinas Saxonum celebratur nostri sacerorum coetus, adiit anno aetatis suae xiiii, ibi que annis prope septem artium humanitatisque studiis operam dedit, doctrinis vīsus Gasseri, Krulli, Taustii, Kirchneri, qui nunc ea in vrbe ad aedem Marie Virginis sacra curat. Eius praesertim, reliquis quoque bene vīsus, fidem ac voluntatem in se prolixam laudat. Academiae ad Salinas ciuis futurus accessit a C. N. cīcīo ccxx, et scholis doctrinæ ac sacerorum discendorum causā interfuit, Meyeri, Langii, Michaelis, Baumgartii, Knappii. Inde in patriam euocatus, Islebiae que Ehrenbergii Consiliarii Princip. filii custos additus, litteras eos docuit, atque inter eos, qui sacri munera candidati scribuntur, nomen dedit. Lipsiam venit anno aetatis nostrae xxxxviii, scriptus in nostris rectorē Gottschedio. A quo tempore theologiae studiis exercendis auditor sectatus est Deylingum, Tellerum, Crusium.

## GEORGIVS CHRISTOPHORVS SEYFERT AVGVSTANVS

**N**atus Augustae Vindelicorum anno saeculi praeſentis xxvi, patre vtitur Iohanne Caspero, inde oriundo, ac symphoniacae artis perito, quam aliquo tempore in regia Dresdae exercuit, nunc in patria choris musicis praefectus agit. Litterarum et sacerorum rudimenta primum domi didicit, deinde in gymnasium patriae litterarum deductus, sub Crophio et Heckingio artium magistris, qui ei rei praeſent, ingenuarum artium disciplinae operam dedit. Quibus in studiis ſe adiutum memorat etiam doctrina Mezgeri A. M. et ad collegium nostri ritus Ephori. Academiae Ienensi accessit a C. N. cīcīo ccxxxvi, ibi que ſectatus eſt philosophiae quidem discendaſ causā, Reuschium ac Dariesium: ſuper theologiae partibus, Vualchium, ac rursus Reuschium: in litteratura orientis antiquitate que cognoscenda, Tymplium

ac



QK Ue 7335  
XXIII

XXIIII

ac Reckenbergerum. Lipsiam vénit anno superiore, in ciubis nostris scriptus rēctore Vuinclero, atque ab eo tempore auditor adfuit super praeceptis rhetoricae, Gottschedio: super Physica, Winclero: theologiae decreta et controverbias vt recognosceret, vsumque declamandi vt haberet, Vuollo: quorum fidem ac voluntatem laudat.



X 2379942

260

W. 534, 49  
STUDIORVM CON  
XVI. PHILOSOPHIAE  
QVI MAGISTRI C

RECTORE MAG  
GODOFREDO

MATHEM. P. P. O. ET A


SCIENT. PETROPOLITANAЕ AD

PROCANCELLARIO  
IOH. CHRISTOPH. G  
LOG. RECENTIORIS ET METAL  
ORD. POES. EXTRAORD. ET MA  
COLLEGIATO ET SODALIT. Q  
COGVNTVR DIVERSIS VT  
OLOMVC. ADSCRI

DECANO SPEC  
AVG. FRIDER.  
PHIL. ET IVRIS VTR. DOCT  
PROF. PVBL. ET MIN. PRINC. C

CARMINE SOLEMNI  
IOH. FRIDER. CHR

D. XII. FEBR. A. C. N.



LIPSIA  
OFFICINA LANG

FarbKarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

